


05

A

605





SOCINIANORUM,

De

**DIVINIS OPERI-
BUS EXTERNIS,**

Quam

P R Æ S I D E

V I R O

Plurimum Reverendo, Amplissimo, atq; Excellentissimo

DN. JOHANNES Deutschmann/

S. S. Theol. D. P. P. Alumnorum Electoralium Ephe-
ro gravissimo Domino Præceptore Patrono atq;ve

Promotore æternum colendo publicæ Theologor-
um disquisitioni submittit.

R E S P O N D E N S

FELICIANUS JERICHOVIUS

Svinizio Misnicus.

Die August.

In Auditorio Majori.]

M. DC. LXV.

WITTENBERG

Typis JOHANNIS BORCKARDI.

Quod Dresdæ est
PRÆSIDI EMINENTISSIMO
PRÆILLUSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO

D N O. C A R O L O,
LIBERO BARONI A FRISEN

Domino in Rôthau/Rotta & Geschwitz/ ELECTORA-
LIS CONSILII SECRETIORIS SENATORI, COMITI
CUBICULARIO &c.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO
ET EJUSDEM CONSILIARIIS GRAVISSIMIS.

V I R I S

Magnificis, Summe Reverendis, Nobilissimis, Consultissimis atq; Amplissimis.

D N. M A R T I N O G E I E R O,
S. S. Theol. Doctori celeberrimo, Serenissimo ELECTO-
RI Saxonico à concionibus Aulicis primariis & confessionibus sacris.

D N. C H R I S T O P H O R O B U L Æ O,
S. S. Theolog. Doct. Nominatissimo, Ecclesiæ Dresdensis
ad D. Crucis Pastori, & vicinarum Superintendententi vigilantissimo,

D N. G O D O F R E D O B E N N I G E N N /
J. U. D. Famigeratissimo,

D N. C H R I S T I A N O H E I G I O,
J. U. D. Celeberrimo,

Dnn. Patronis ac Promotoribus debitâ observantiâ æ-
ternum colendis γούνασμα hoc Theologicum in debitæ
submissionis testimonium observanter offert ac dedicat



Humillimus Cliens

FELICIANUS JERICHOVIUS

05 A 605

IN NOMINE JESU!
SYNOPTICÆ MATHEOLOGIAS
SOCINIANORUM
DISPUTATIO X.
DE DIVINIS OPERIBUS EXTERNIS,

Quam
PRÆSES

JOHANNES Deutschmann D. & P. P.

ET RESPONDENS

FELICIANUS JERICHOVIUS

Svinizio Misnicus

Die August. In Auditorio Majori proponent.

I. **E**Xpeditis iis erroribus, quos *Sociniani* de *Operibus Divinis Internis* contra caelestem veritatem fovent, recta progredimur ad resolutionem eorum, quos etiam de *Operibus Divinis externis* docent. Ut autem *Opus DEI*, quæ Theologia potissimum proponit, hic saltem attendamus, meditationes nostras partim ad *Divinas Energias*, partim ad *Divina Energemata* convertimus, & respectu utrorumq; saltem ad *absolutas Operationes*, & ad *Opera absoluta* tractationem nostram dirigimus. *Absolutas a. Operationes* appellamus, quibus Deus in absoluto potentia regno, citra respectum ad regnum gratia, vel *Messiam*, sese patefecit; & *Opera* dicimus *absoluta*, quæ respectu Theologica cognitionis in absoluto potentia regno, citra respectum ad *Messia regnum*, produxit: *illas* dicimus *Creationem & Conservationem*, vel *Providentiam*: *hac a.* appellamus *Angelos & Homines*. De singulis breviter errores *Socinianorum* methodo consveta producemus.

2. Primum igitur Deus *ad Extra* per *Creationem* sese patefecit. In doctrina de *Creatione* vulgo notare solemus & *Onomatologiam* & *Pragnatologiam*. De Voce *Creationis* præter alia Theologi peculiariter observant *Homonymiam*, quod (1) significet principaliter aliquid ex nihilo *producere* (2) ex

informi, vel minus habili materia aliquid formare (3.) opus a-
liquod mirandum patrare. Sicut jam olim B. Patres hæc tria
significata vocis creationis observarunt. Nam *Basil. Epist. 141.*
Scribit: Tria creationum genera in scripturis nominata de-
prehendimus. Unum quidem ac primum eorum, quæ ex ni-
hilo, cum non essent, ad hoc ut essent, sunt condita. Alte-
rum eorum, quæ ex prioribus ad meliora immutantur. Ter-
tium quod est in resurrectione mortuorum (vel aliis simi-
libus operibus admirandis). Hinc vox *creationis* usurpatur in
S. L. partim pro *admirando conservationis, vel creationis ope-*
re *Psalm. CIV. 30.* partim pro *admirando conceptionis Christi o-*
pere *Jer. XXII, 22.* partim pro *admirando Spiritus S. opere in san-*
ctificatione *Psalm. LI. 12.* *Conf. II. Cor. V. 17.* *Eph. II. 10.* *Gal. VI.*
15. partim pro *admirando divinorum judiciorum executione* *E-*
sa. XLV. 7. *XLIX. 7.* *Num. XVI. 30.* partim pro *admiranda pi-*
orum protectione *Esa. IV. 5.* *XLIX. 7.* partim pro *admiranda re-*
rum creatarum destructione *Jos. XVII. 10.* *Ezech. XXIII. 47.*
Sociniani vero principale Vocis *creandi* significatum vel σ-
φισικῶς in scriptis suis omittunt, vel prorsus è medio tollunt.
Sic enim *Volkel. l. 2. de DEi Operibus c. 1. p. 1. Verbum Creare,*
scribit, interdum rem, quæ non erat antea, formare, seu effice-
re *Gen. 1. & alibi passim: interdum verò jam formatam instau-*
rare atq; reficere significat *Psalm. CI. 12.* *Esa. 45. 7. 65. 17. 18. & c.*
Nam quod in his verbis ratione prioris significati, *Volkelius*
intelligat *formationem ex materia præexistente*, patet *ex c. 4.*
p. 5. 6. seq. ubi negat, à Deo quicquam ex nihilo conditum esse,
sed omnia ex materia præexistente suum esse primitus acce-
pisse. Verum quod Vox *Creandi* significet ex nihilo produ-
cere, probatur (1) *ex creationis natura*, quæ, juxta Philosophos e-
tiam, productionem ex nihilo designat: hæc autem vox naturam
creationis formaliter exprimere debet. (2) *ex significatione au-*
thentica, quia *Moses* dicit: *In principio*, videl. cum nihil esset,
nihil existeret, cum ens omne suum esse susciperet, *וַיֵּצְרֵם*
creavit Deus cælum & terram: ergo, quia nihil tum extitit,
ex nihilo res omnes Deus infinita virtute produxit, (3) *ex*
tempo.

temporis ante creationem descriptione manifesta Prov. IX. 24.
Quando non erant, cum essent nihil abysfi: quod de abysso di-
citur, de reliquis omnibus creatis facile colligitur Conf. v.
22. 23. 25. 26. seq. (4.) Ex descriptione creationis emphatica:
Nam Deum creatorem Paulus describit Rom. IV. 17. quod vocet
Ἐκ μὴ ὄντα, εἰς ὄντα, non existentia, tanquam vera entia II. Cor.
IV. 6. quod iusserit ἐκ σκοτίας ex tenebris splendescere lucem.
Hebr. XI. 3. ubi legimus, quod non ex præexistenti materia,
sed verbo DEI aptata sint secula εἰς τὸ μὴ ἐκ Φαινομένων Ἐ-
βλεπόμενα γεγρονέναι, ut ea, quæ nunc videntur ac existunt,
ex apparentibus, vel non existentibus, facta sint. Hinc etiam
II. Maccab. VII. 28. dicitur: Deus fecit calum & terram, & o-
mnia, quæ sunt in eis ἐξ ἄκων ὄντων ex non entibus, ex non exi-
stentibus, h. e. ex nihilo. (5) Ex Philologorum tum veterum
tum recentiorum, & Theologorum συμφωνία, quorum testimo-
nia brevitatis ergo nunc adducere non licet.

3. In pragmatologia primum omnium Descriptionem Cre-
ationis deprehendimus. Creatio describitur in Comp. Hutt.
loc. 4. q. 2. quod sit actio externa totius divinitatis, qua Deus
res omnes creatas, visibiles & invisibiles sex dierum intervallo, liber-
rime optimaq; sua voluntate ex nihilo condidit. Circa hanc
definitionem Photiniani multis modis impingunt, tum contra
causam Efficientem, tum contra causam materialem, tum con-
tra causam formalem, tum contra causam finalem, sed quia hæc
rectius specialiter expenduntur & exponuntur, ideoq; dicimus,
quod Sociniani peccent (i) contra causam Efficientem, & quidem
non uno modo. Nam (1) negant, creationem esse totius Trini-
tatis opus, siquidem altum est apud Volckel. l. d. in proluxa de
creationis opere tractatione, de Trinitate silentium: & alias ne-
gant *Mysterium Trinitatis*, ideo nec opus aliquod illi tribuere
possunt. (2) Patrem simpliciter creatorem esse statuunt. Sic
enim Socin. in instit. p. 59. in Symbolo, quod Apostolicum dicitur, De-
us Pater simpliciter cæli & terræ creator dicitur. (3) negant, Fi-
lium Dei creatorem esse rerum omnium, ut habet Ostorod. in instit.

p. 71. Man soll wissen / daß ob wohl in der H. Schrifft von Christo gesagt werde / daß durch ihn alles gemacht und geschaffen / und sonderlich daß die Welt ^{von} und Ewigkeit durch ihn gemacht sey / so wird doch nirgend von Ihm gesagt / das Er der Schöpfer selber sey. sondern nur allein / daß durch ihn die Dinge gemacht oder geschaffen sind. Womit angedeutet wird / daß er derselben Dinge / welche durch ihn gemacht sind / nicht prima / sondern secunda causa / nicht die erste / sondern die andere Ursach sey. Confer. *Schlichting. de Trinit. p. 358.* (4) Negant, *Spiritum S. esse creatorem.* Nam *Volckel. de Relig. l. 5, c. 14. p. 493.* ad argumentum aliquod pro eo, quod *Spiritus Sanctus creator sit*, ita scribit: Primo hunc in modum argumentantur: si, inqvunt, *Spiritus S. non est divina persona. & sic DEUS, CREATOR OMNIUM*, certe creaturam eum esse, necesse est: cum omne, quod est, aut creator sit, aut creatura, Respondemus igitur: Hoc axioma verum non esse. Nam nec Dei sapientia, justitia, aliaq; divina attributa, personæ divinæ sunt, quamvis nec creatores, nec creaturæ dici possint. Tametsi igitur *Spiritum Sanctum* nec divinam personam, nec creatorem esse contendimus, tamen creaturam eum non esse, libentissimè fatemur. Socin. contr. *Wujeck. p. 460.* etiam *Spiritum S. pro creationis instrumento* venditat. Scribens: Id singulariter non sine causa animadvertendum est, nusquam, ni fallor, in sanctis literis Spiritui Sancto diserte tribui, quod quidquam creet, sed Dei Spiritu, seu per Dei Spiritum alicubi fortasse creatas res dici, tanquam videl. instrumento, vel per instrumentum. Confer. *Schlichting. contr. Meisn. de Trin. p. 359.* (5) Sic igitur Deum non sine instrumento, sed potius per instrumentum creaturas produxisse fingunt, ut ex præcedenti loco *Socini* constat. Confer *Schlichting. d. l.* His & aliis modis *Sociniani* contra causam Efficientem creationis peccant. Verum quoad hæc omnia capita sufficienter thesin nostram ex S. L. dedimus demonstratam in *Annotat. ad Hutter. Comp. p. 631.*

p. 631. seqq. & quomodo Patri peculiariter opus creationis tribuatur p. 637. seqq. expedivimus. Quod autem Filio non tribuatur ut *causa secunda*, patet ex Job. I. 1. 2. Col. I. 15. 16. & c. quod etiam Spiritui Sancto non ut *causa media*, vel ut *instrumento* tribui queat, ex ipsis Socinianorum hypothefibus evincitur, quia secundum ipsos Spiritus S. est in Deo: sed in Deo nec *causa media*, nec *instrumentum* dari potest, cum ipse Deus per naturam simplicissimus esse dicatur.

4. Peccant (2) contra *causam creationis materialem*. Nam ex S. L. certum est, quod Deus *ex nihilo* cuncta produxerit, adeoq; creatio nullam praeexistentem materiam admittit, quemadmodum d. l. p. 642. & seqq. pluribus id explicatum ac demonstratum ivimus. Sed in eo nobis & scripturae contradicunt Sociniani, quod creationem *ex nihilo* factam esse, concedere nolunt, ipsi v. vel *praeexistentem* rebus, vel *Deo coexistentem* in creatione prima *materiam* affingunt, de quo prolixè Volkel. d. l. l. 2. c. 4. p. 5. seqq. disputat, inter alia scribens p. 6. Ideo Deus *ex nihilo* omnia fecisse dicitur, quia ea creavit *ex materia informi* h. e. ejusmodi, quæ nec actu, nec naturali aliqua potentia, seu inclinatione id fuerit, quod postea ex ea fuit formatum; ita ut nisi vis quædam infinita accessisset, nunquam quicquam ex ea fuisset extitutum. Verum aliud est de *informi*, vel *inepta*, aliud de *nulla materia* verba facere: *nihilum est nulla*, non *informis materia*. Dist. igitur inter *quasi nihilum*, & *ipsum nihilum*, inter *nihil comparativum* & *absolutum*; de *absoluto*, non de *comparativo* & ad creaturas ipsas collato, *nihilo* scriptura verba facit. Sed quia Volckelij fundamenta refutavimus alibi, propter angustiam pagellarum hic refutationem omitto, cum primis quia omnes ejus rationes, vel *ignoratione Elenchi*, vel *petitione principij* laborent.

5. Peccant (3) contra *causam formalem*, idq; rursus variis modis (1) *causas secundas creationis fingendo*, quod ex Ostrod. lb. 3. notavimus. (2) *causas medias & instrumentales concedendo*. Sic enim Schlichting. l. d. p. 358. Aliud est, creatorem

P

cæli

*cæli & terra simpliciter & absolute appellari: aliud, per aliquem omnia creata esse dici. Illud ei tantum competit, qui creationis rerum omnium absolute prima & princeps causa est: hoc illi etiam tribui potest, qui nec rerum absolutè omnium, nec prima & princeps, sed tantum MEDIA & INSTRUMENTALIS est causa. (3) Propriam & impropiam creationem introducendo, sicut idem Schlicht. p. 359. Esto, scribit, scripturam testari per Spiritum Sanctum omnia esse creata, non tamen hinc sequetur, Spiritum Sanctum esse creatorem, nempe VERE & PROPRIE: quo pacto creatoris appellationem Symbolum usurpat: sed tantum IMPROPRIE, quo pacto causis mediis instrumentalibus, causæ principalis & operatio & appellatio solet tribui. (4) infinitum transitum in opere creationis à non entibus ad veram Entium productionem inficiando, & sic formalem creationis actum labefactando, quia negant Deum ex nihilo cuncta fecisse. (5) increatam & creatam potentiam confundendo, ex qua confusione non parum formalis actus creationis infringitur. Sic autem Schmalz. de Error. N. A. p. 84. scribit: Non necesse est, potestatem creatam dependentem esse necessario & absolutè. Potest enim is, qui potestatem habet increatam, dare alteri tantam potestatem, quæ postquam semel data est, & eatenus dependens appellari potest, jam propria sit ipsius, cui data est, præsertim ad certum tempus, & in certis rebus, & ita dependens nullo modo dici potest &c. Sic igitur potestas creata, quoque sit independens, & consequenter increata. (6) *Mysterium creationis*, quo Elohim creasse legimus, h. e. Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, admirabili Deitatis œconomia, ut à Patre per Filium in Spiritu Sancto creata dicantur omnia, vel Pater per Filium in Spiritu Sancto creaverit universa, totaliter evertendo. Hæc omnia cum directe sacris literis, nature Dei creatoris, historie Mosaicæ, & ipsi rationi, contraria sint, operosam certe refutationem non requirunt.*

6. Peccant (4) contra causam finalem. Deus enim omnia fecit, ut valde bona essent Gen. I. 31. Bene cuncta fecit (1)

substan-

Substantialiter, vel essentialiter, ratione sui, non tantum voluntati divinae conformiter, sicut fingit Socin. advers. Pucc. p. 5. §. 1. ubi dicit, quod Deus omnia bona fecerit, i. e. decora & sibi apta atque convenientia, NON vero SUBSTANTIALITER (seu ESSENTIALITER) BONA. (2) accidentaliter, quia bona sunt non tantum ratione essentiae, sed etiam ratione proprietatum, cum inter proprietates essentielles & alias affectiones & inter essentiam debita proportio reperiatur; non autem Deus tales affectiones rebus concreavit, quae vel bonitati, vel sanctitati minus convenientes essent, ut errat Socin. in discurs. brevi de ratione salutis nostrae p. 15. scribens: Poterat Deus talem hominem creare, qui sancte tantum vivere, nec aliter facere posset, sed ut majorem haberet campum potentiae & sapientiae suae exerendae, constituit creare talem hominem, qui posset etiam secus facere, quiq; INSITAS SIBI HABERET NON LEVES AFFECTIONES quasdam, quae se AD VITAM ET MORES CUM TOTA SANCTITATE MINUS CONVENIENTES PERPETUO SOLICITARENT. Et in praelect. Theol. c. 3. hominem ἰσότητος h. e. aequae malum & bonum conditum, qui neque virtute, neque vitio praeditus fuerit, sed ad bonum & malum aequaliter se habuerit, fingit inquam: hominem libera AD MALUM NON MINUS, QUAM AD BONUM voluntate conditum esse. (3) Finaliter, quia Deus omnes creaturas ad finem optimum produxit, & rationibus etiam eundem aperuit, contra Socin. in cit. discurs. p. 17. Creato homine non statim ei Deus hanc suam voluntatem de eo beando aperuit, ut homines seipsum prius agnoscerent, quam fragiles & multis miseriis circumsepti essent: ut postea sic exerciti, tanto avidius gratiam Dei arriperent, & viam ab eo propositam ingrederentur. Sic igitur homines juxta primam creationem ad miseriam, non ad beatitudinem, ad fragilitatem, non ad stabilitatem vel integritatem, ad mortem, non ad vitam conditi fuerunt. (4) Singulariter, quia Deus clausulam creationis δοκιμαστικὴν & ἐγκωμαστικὴν non tantum quoad rerum universitatem παχυλῶς & κοινῶς

vāg, sed etiam quoad *rerum singularum pulchritudinem & bonitatem*, ἀνεπίβως & ἰδίως protulit, secus ac nugatur Socin. in *Prælect. Theol. c. 3.* ubi locum *Gen. I. 31.* hoc modo detorquet, non esse referendum ad singulas res ipsas à Deo creatas, sed ad universa opera, sex illis diebus facta, verba illa referri debere: quod si quis autem ad hominem ea referre velit, non esse intelligendum, Deum vidisse, ipsum hominem esse bonum, sed bonum esse, quod homo à se creatus fuisset talis, qualem eum antea Moses descripserat. Item in *precedentibus*, in hoc loco, respectu ad hominem habito, non de animi bonitate nec de justitia sermonem esse, sed de **APTITUDE & CONVENIENTIA** ad id, quod Deus antea sibi proposuerat: nam esse hic translationem ab opificibus, qui opus suum jam perfectum contemplantur, ut si proposito suo respondeat, approbent: sin minus, aut corrigant, aut abjiciant. Plures detorsiones h. l. & disputationes contra bonitatem hominis videantur ibidem. Nos illas corruptelas, scripturæ *καὶ διὰ μέτρον* adversantes, ulterius vel allegare, vel examinare nolumus.

7. Unicum saltem adhuc de *Creatione* breviter addimus, ut ad reliqua nos convertere possimus. Nam creationem in *distincta genera* quoq; *Sociniani* distribuunt, & aliud *superioribus*, aliud *inferioribus* tribuunt. Sic enim *Volkel. l. 2. c. 1. p. 1.* scribit: Creationem in duo genera distribuimus: quorū alterum superiores, alterum inferiores naturas complectitur. Ac superiores quidem illæ sunt, quæ in supremo cælo, quod DEi ipfius sedes in *S. L.* dicitur, habitant, veluti sunt Angeli. Inferiores autem sunt, cælum hoc aspectabile, terraq; & quæcunq; horum ambitu continentur. Verum cur non addit *tertium genus*, quo *cælum ipsum Empyreum, Dei sedes*, sit productū, cum angelis tantum *primū genus* creationis tribuat. Sed scriptura & natura tale *cælum Empyreum* ignorant, nec sedē aliquam Dei certam atq; localem scriptura revelat, sed potius *Deū immensū & infinitum* prædicat, cum *solum sit cælum, & pedum scabellum ipsa*
terme

terra Esa. LXVI. i. Deus localis non est, sed illocalis. Neq; tale coelum pro superioribus creaturis, Angelis, fabricatum unquam & altissimum de eodem in S. L. silentium, siquidem angeli non ad coeli cujusdam peculiaris inhabitationem, sed ad Dei hominumq; ministracionem conditi dicuntur, ut semper videant faciem patris coelestis Matt. XIX. 10. stent & ministrent coram Deo Dan. VII. 10. Dominumq; perpetuis hymnis collaudent Esa. VI, 3. & hominibus, cum primis iis, qui salutis haereditatem adepturi sunt, varia ministeria praestent Heb. I. 14. De inferioribus etiam unum, vel alterum monendum esset, praesertim quod hominem simpliciter inferioribus & terrestribus accenseant, sed haec de Creatione modo sufficiant.

8. Nunc ad doctrinam de *Conservatione* vel *Providentia DEI* pergimus, & de *Providentia* praecipuos *Socinianorum errores* adjicimus. Nunc sequentes potissimum observabimus (1) *De Causa efficiente*, siquidem juxta Scripturam *Providentia* quoq; totius *S. S. Trinitatis* opus est, cum non tantum uni Deo, sed etiam trino passim in *S. L.* tribuatur, utpote *DEO Patri Job. V. 17. 1. Cor. IIX. 6. Deo Filio Job. V. 17. 1. Cor. IIX. 6. Col. I. 16. Heb. I. 3. Prov. IIX. 15. Spiritui S. Psalm. CIV. 30. Esa. XL. 12. 13. Esa. LVII. 16. Job. XXXIII. 4. Sap. I. 7. XII. 1. &c.* Sed *Photiniani* uni Deo saltem *providentiam* tribuunt, *Deo trino* nullum etiam hic locum concedunt, & disertis verbis negant, vel *DEum Filium*, vel *Spiritum S.* esse causam *primam efficientem conservationis*. Et licet *Christo providentiam* denegare non possint, tamen & ad *providentiam specialens salutis*, & ad tempora certa post Christum exaltatum, item ad *Eccliam*, eam restringunt, quemadmodum disertis verbis *Schmalz. lib. de Err. N. Arian. p. 17. scribit*: Agnosco Christum, ut omnium est rex & Dominus, ita etiam omnium *providentiam* habere *SUO MODO*, quatenus & olim, cum in mundo degeret, omnium, ad quos missus erat, salutem procuravit, & nunc omnium, quibus veritatem suam revelat, salutem procurat. Quod vero nego, illud est, quod scilicet re ipsa & effective *providentia illa & cura Christi* non omnibus competat.

Conjungo enim diserte in responsione mea cum ista providentia promissa etiam divina. Ut verò hæc, licet omnibus offerantur, tamen non ad omnes pertinere, dici possunt propriè: nemini enim dabuntur, nisi obedienti: ita illa etiam providentia non ad omnes propriè spectat, ut scilicet effectus illius in eis sese exerat. Christus enim corporis sui servator est. Verum si *Schmalzius* loca superius *de Filio* prolata, rectius expenderit, ea non de *speciali*, sed *generali providentia* verba facere, citra difficultatem omnem deprehendere poterat.

9. Sicut autem olim ante Christum incarnatum *Solus Patri* providentiam & gubernationem rerum omnium tribuunt, & Dei filium ab omni providentiæ commercio prorsus excludunt, ita pariter nunc in Deum Patrem injuriam istam transferunt, & omnem gubernationem *filio* soli propriam faciunt, & à Patre in Filium transferunt, sicut *Schmalz. p. 19. Monstr. N. A.* scribit: *Confitendum, Patrem jam non in sua ipsius persona, sed in persona Filij gubernare populum suum.* Verum hoc directe Christi verbis adversatur *Job. V. 17. Pater meus usq; modo operatur & ego operor.* Quibus verbis diserte Christus proficitur (1) Patris veram circa rerum providentiam operationem (2) Patris continuam operationem, quia usq; modo operatur. (3) Patris modernam circa Providentiam operationem, quia semper valet illud *usq; modo*, cum apud Deum semper præsens, & duratio prorsus immutabilis & indivisibilis sit. (4) Patris & Filii unitissimam circa providentiam operationem, quia Pater operatur, ET Filius operatur. (5) Filii perpetuam cum Patre operationem: nam sicut Pater semper & præsentem in providentiæ negotio OPERATUR, sic etiam Filius de seipso proficitur, Ego semper & præsentem OPEROR.

10. (2) De *Causa Materiali* varios etiam errores fovent; & cum certum sit, quod à priori, directe & per se Deus providentia sua tantum occupatus sit circa *bona conservanda, procuranda, promovenda, vel efficienda*, Sociniani non parum à scripturis & ab Orthodoxia recedunt, dum Deo tribuunt (1) *peccatorum procuracionem. Schmalz. adv. Franz. disp. 9.* Facile

con-

concedi potest, Deum Pharaonem indurasse, & alia huic similia PROCURASSE (2) ad peccata compulsionem. Illi, pergit, quos Deus, vel induravit, vel ad scelera perpetranda compulit, nempe per Diabolum, jam pridem mali erant. (3) peccatorum à priori destinationem. Destinaverat, inquit ibid. Deus, ut aliquis ex Christi domesticis eum traderet, idq; mutari nullo modo potuit. (4) Errorum procurationem. Smalz. lib. de Error N. A. p. 25. Theologi & Patres nonne errare potuerunt? tum quia erroribus omnes sumus obnoxii, tum quia ut erremus, si Dei verbum negligamus, Deus permittere, imo etiam interdum PROCURARE solet. Alios errores, quos de peccatorum pœnis & aliis fovent, nunc adducere non licet. Huc etiam pertinet illud, quod specialia, eaq; gravissima peccata Deo, divinoq; decreto tribuunt. e. g. Abnegationem Petri, prout scribit Schmalz: cont. Frantz. p. 430. Non animadvertit Frantzius, concesso eo, quod Deus decreverit subtrahere gratiam à Petro, reliqua, quæ ad perficiendum istud peccatum requirebantur, multo facilius etiam decerni potuisse. Majus enim est decernere, ut Christi Apostolus Christum abneget, quam ut ter & certo tempore id faciat. Hæ enim circumstantiæ non ad naturam peccati constituendam, sed tantum ad illud exaggerandum, & pœnæ imminentis certitudinem describendam pertinent. Itaq; si nulla impietas in eo est, quod tam atrox peccatum decernitur, sed magna tantum divina severitas, quomodo impium censendum est, si decernantur etiam quædam circumstantiæ, quæ ad peccatum illud exequendum necessariæ quomodo sunt? Tantum enim necesse erat ad hoc facinus exequendum, voluntatem Petri ad breve temporis spacium libertate sua privatam & quodammodo COACTAM esse, quod Deum interdum facere posse & solere, nec impium est, nec absurdum, sed tantum severum Dei judicium, & ira ista, ad quam tardus esse in S. L. non uno in loco dicitur. Conf. p. 428. Item quod usum sceleratorum & scelerum Divinæ providentiæ subordinare solent.

II. (3) De causa formali neq; leves, neq; paucos errores fovent, nos hic paucis erimus contenti. Causa formalis tribus alias actib; expri-

exprimitur & constituitur, videl. (1) per προγνωσιν, l. rerum præscientiam. (2) per πρόθεσιν, l. propositum ac beneplacitum, l. prospiciendi voluntatem. (3) per διοίκησιν per actualem rerum conservationem, curam & gubernationem. Nullum horum actuum intactum & incorruptum Sociniani relinquunt. Nam quoad primum, Deum res omnes tam contingentes, quam necessarias præscire negant, *De omnibus futuris contingentibus*, scribit Smalz. d. l. disp. 12. quæ talia sunt, dicimus, ea ita comparata esse, ut sub nullâ scientiam cadant. Sunt a. futura contingencia, tam actiones bonæ, quàm malæ hominum. Vid. Socin. in prælect. Theol. c. 8. seq. Quoad secundum fingunt, decretum Dei causam immutabilem actuum etiam malorum esse, prout th. 9. n. 3. ex Smalzio notavimus. Quoad tertium peccatorum & errorum procuratio, ad peccata compulsio &c. quæ th. 9. n. 1. 2. & 4. sunt allegata, sapientissima & sanctissima Dei διοίκησις repugnant. Nec illud fuco caret, quod Volkelius in prolixa sua tractatione de providentia l. 2. de Vera Relig. c. 7. seq. temporalem tantum Conservationem & Gubernationem citra prævisionem æternam Deo tribuit, sed hæc altius nunc indagare, vel plenius explicare non licet.

12. (4) De causa finali pariter errant. Certum est, quod Finis providentiæ respectu Dei sit ejus gloria, quæ potissimum ex agnitione bonitatis, sapientiæ & potentiæ nobis innotescit: & respectu nostri, Hominum salus: l. respectu creaturarum, earum integritas & conservatio. Sed Sociniani fingunt hic, Deum propter absoluti sui juris exercitium liberrimum, quod super omnes creaturas possidet, bonorum & malorum curam suscipere, sicut Smalz. d. l. scribit: Quod (malum) Deo licere, nemo negabit, qui considerat, quantum sit Dei in homines sibi immorigeros jus & potestas. Verum malum & peccatum nullo jure, adeo quæ; nec absoluto jure Deo recte tribuitur, cum ejus natura, perfectioni, sanctitati, bonitati &c. repugnet. Dist. igitur inter absolutum jus verum & divinum, quod respectu creaturarum omnium rectissime, juxta convenientiam perfectionum ejus, Deo tribuitur: & inter absolutum jus fictum & tyrannicum, quod in licentia tali consistere fingitur Socinianis, ut illud, quod libet, licebit, sive bonum, sive malum sit, sive divinæ voluntati revelatæ consentiat, sive repugnet, quæle jus Dei natura & universa scriptura prorsus ignorat.



Maxima facta Dei nemo comprehendere dignè
Mortalis poterit, nemo celebrare valebit
Illa satis. Res est, Numen cognoscere summum,
Æterni Studii, non hic sine Flamine sacro
Quicquam proficimus. Sed pergito rite precari
Numen divinum, devota pergito mente.
Scripta Theopneustum pervolvere cuncta virorum,
Non deerit Studiis Domini benedictio larga.

ABRAHAM CALOVIUS, D.

E*st labor buad facilis, scrutari scripta Jehovæ,
Nec proprii studii, nec rationis opus
Hoc, dum divinas operas meditaris ad extra,
Tu quoq; Deutschmanno jam præeunte probas.
Perge age Scripturas scrutari, Scriptaq; vera
Theologum legere, & præmia certa feres.*

JOHANNES MEISNERUS D.

Cum perspecta satis tibi sit *sapientia mundi,*
Jam quoq; commonstras, dum dogmata falsa Socini
Confutas, quid sit Scripturas nosse virorum
Divorum. Pergas sic sacro Numine ductus
Scrutari Jovæ mysteria, dubito nullus.
Quin Studiis veniant certissima præmia tandem.

CONSTANTINUS Ziegra /
S. S. Theol. D. & Phys. P. P.

Sic

*S*ic licet ingenij dotes augere, Deusq;
Qualia donarit dona, probare Bonis.
Perge Dei magni magnalia volve casta
Mente, manent studium certa brabea tuum.
felicis ominis ergo
scrib.

BARTHOLOMÆUS Buchholz/
Phil. & S. S. Theolog. Stud.

*Q*ui pietate gravi, qui clarâ voce Jehovahæ
Dogmata defendis celsò de ponte Cathedræ.
Gratulor his ausis, faxit supremus Jova!
Ut tandem labor hic referat tibi commoda mille.
ὀλοκαρδίως scrib.

ANDREAS SCHULTETUS
Phil. ac S. S. Theol. Stud.

*S*ic iterum vires animi nunc prodis, Amice,
Dum sacra cœlestis defendis dogmata Regis
E docta cathedrâ, commentaq; dira Socini
divis, evenient hinc certè præmia digna.
Paucula hæc in honorem præstantis-
simi Dn. Respondentis adjicere
voluit.

MARTINUS SCHWECHTENIUS
S. S. Theol. Studiosus.

*Q*uo verbi semper vigeant documenta Sacratè
Socini felix dogmata falsa fugas.
Spiritus ergo tibi maneat Jova, atq; per avum
Te doceat veræ dulce salutis iter.

εὐγνωμόνως καὶ ὑπερῶς
CHRISTOPHORUS MULLERUS,
Philosoph. Studios.

05 A 605

ULB Halle 3
003 761 967




1017

Ad.







B.I.G.

Farbkarte #13

SOCINIANORUM,

De
**DIVINIS OPERI-
BUS EXTERNIS,**

Quam
PRÆSIDE
VIRO

Plurimum Reverendo, Amplissimo, atq; Excellentissimo

DN. JOHANNES Deutschmann/
S. S. Theol. D. P. P. Alumnorum Electoralium Epho-
ro gravissimo Domino Præceptore Patrono atq;ve
Promotore æternum colendo publicæ Theologoz
rum disquisitioni submittit.

RESPONDENS

FELICIANUS JERICHOVIUS
Svinizio Misnicus.

Die August.
In Auditorio Majori.]
M. DC. LXV.

WITTENBERG
Typis JOHANNIS BORCKARDI.

